

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

57 Reden der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420,3

Molter, Johann

[Karlsruhe], 1783-1800

[Hoffmann, Philipp Christian]: De liberalitatis indole atque generibus
oratione locutus est, 9 Dez 1797

[urn:nbn:de:bsz:31-99849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-99849)

De liberalitatis indole
 atq; generibus
 oratione locutus est
 P. C. Hoffmann. St. Al.
 die 9. Decemb. 1797.

Faint, illegible handwritten text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



Exordium. Una sit virtus, an plures, diu apud Philosophos quaesitum est. Specia-
tim liberalitas ita quandoq; stringitur,
ut in facili communicatione honorum, in
erogatione pecuniae, in largiendo et be-
nefaciendo maxime posita sit. Nunc la-
terem illius ambitum et varietatem adcom-
modatis aem. libet exsequi.

Thema de liberalitatis indole atq; gene-
ribus

Part I. Indoles liberalitatis plurimarum
notarum complexu absolvitur. Sunt autem
propria liberalitatis:

1, ut sit facilis et prona, nil cunctan-
tes et reluctando vel invita suscipiat,
nihil cogatur, non aliunde expectans
impulsus, ab inertia abhorrens, suis
stimulis utens, ex semetipso mobilis.

2, ut per omnia sit naturae accommodata,
non extrinsecus decora curiose quaerat,
pravae cujusq; aetis inimica, naturali
bona gaudet.

si porro ut sinco sit simplex et aper-
ta, ne quid occulto et composito agat,
 non inanis speciebus illudens, fal-
 lere et insidiari nesciat, periculosi
 secreti ex pers, suco et fraude carens.
 ut deniq; cum lenitate et aptitu
dine conjuncta sit.

Part II. Genera liberalitatis ex varia
 ejus vocabuli trans latione efficiuntur.
 Nam et ingenium dicitur liberale, et
animus liberalis, et oratio et educatio
liberalis, et liberalis doctrina, et me-
ras liberalis, et facies et habitus liberalis.

Director gravissime !!
Socii ornatisissimi !

Una sit virtus, an plures, diu apud Phi-
losophos quaesitum est; diu ultro citrogo
certatum. Plurimi eorum usque maxime atque
eruditissimi statuerunt, unam modo esse in-
stitutionem atque conformationem animi,
qua fertur ille ad quodque bonum, uti tale
est, complectendum et exsequendum, eoque
unice delectatur: quod eo vere vidit: unam
modo consistere virtutem. Sane infiniti sunt
modi, quibus, pro varietate materiae, ca-
suum et occasionum immensa diversitate,
illud studium boni, rectique amor ille, offen-
ditur atque exferitur. Ac si velis singulos
hosce modos virtutem demonstrandi et ap-
plicandi, peculiari quodam virtutis no-
mine adpellare, non erit incommodum
totidem quosque genera virtutum admittere.

Sed omnes istae, quamquam dissimillimae
 translationes virtutis ab eodem illo constan-
 ti et aequabili boni rectique amore oriuntur,
 atque illuc, seu primum earundem fontem
 redeunt. Refertur inter illas quoque impi-
 mis liberalitas, quae quandoque ita stringi-
 tur, ut in facili communicatione bonorum,
 in erogatione pecuniae, in largiendo et be-
 nefaciendo maxime posita sit. Nec est om-
 nino dubitandum, quin ea virtus sapienter
 illam exercenti magnam parat voluptatem.
 Equis enim bonus, miseri cuiuspiam, vel
 oppressi, vel egeni, lacrymis et anxietate
 et doloribus, apud animum commotus, in-
 timo gaudio non adficiatur, si impendio
 aliquo servare illum, a periculo graviore
 liberare, aut a scelere et maleficiis, in
 quod desperatione adacti saepe homines
 eunt, cohibere sibi contigerit. Atque
 inter multa alia commoda liberalitas

etiam illud adfert, ut amici nobis obligen-
tur, qui fedissimam nobis laborantibus
opem praestant, in periculis adfunt, et pro
bonis in se collatis, gratiam referre qua-
vis data occasione gessunt.

Mihi vero nunc latis rem liberalitatis am-
bitum, variamque ad commodationem libet
exsequi. Pace itaque vestra, Director gravis-
sime, Socius ornatis sime

de liberalitatis indole atque generibus
pauca disseram.

P. I. Et indoles quidem liberalitatis, de
qua primum mihi erit disquirendum, plu-
rimarum notarum complexu optime dispo-
nitur. Est autem imprimis proprium libe-
ralitatis, ut sit facilis et prona, ut nil
cunctanter et reluctando, vel invita susci-
piat, nihil cogatur. Miram habet ex faci-
litas gratiam utilitatemque in omni opere
et quibusvis conatibus; et magnum adfert

momentum, non modo ut facilius et rec-
 tius succedant, sed aliorum quoque homi-
 num iudicio magis adprobentur. Quoties
 enim homo suapte sponte et libenti ani-
 mo aliquid adgratitur, multo intentiore cu-
 ra illuc incumbit, et quo quid alacrius sus-
 cipitur, eo felicius quoque perficitur. Ita por-
 ro natura comparatum est, ut magis place-
 ant et pleris aestimentur, quae prompte et
 expedite fiunt, his quae praeter voluntatem
 et cum quadam reluctatione, quamquam ea-
 dem, peraguntur, et quasi vi adhibita, extor-
 quenda sunt. Contra cunctatio et recusatio
 et aversio animi ipsa saepe impedimento est,
 quo minus coepta ad exitum perducantur,
 et quamquam ceteroquin honeste et utili-
 ter facta deformat atque extenuat. Id quod
 non in privatis solum officiis, quae in singu-
 los conferuntur, offorvare licet, sed in illis
 quoque, quibus de republica bene mereorur.

Nimirum hoc in nobis met ipsis experimur,
 ut, si forte ope aliena, vel officio aliquo ege-
 amus, tanto nobis gratius excipiat, quanto faci-
 liorem illam et paratorem habemus, qui prae-
 flat, multoq; fortius ei nos obstrictos existi-
 mamus, quam si post longam denum difficul-
 tatem, et moram, obstrictis tandem precibus
 evictus nobis praestitisset. Par est eorum ra-
 tio, quae pro republica munia obervatur.
 In non Imperatorem, qui, sui tantum ani-
 mi motum secutus, suis confusus verbis, pe-
 riclitanti patriae succurrens, praecursus et im-
 pavidus, periculorum laborumq; contemtor,
 extrema ausurus passurusq;, per montium
 iuga et fluminum aestus, scilicet planitiem
 et continentem terram progressus, hostem in-
 sequitur, summus quisq; aequus rerum aesti-
 mator laudibus extulcit? Comparemus
 illum cum incerto et timido duce, qui gra-
 vatus omnia subit, diuq; reluctatus, quae

officii ratio poscit, solam mercedem spectans
 vel praedae avidus, ad primum quocumque pericu-
 lum haesitans, objecto impedimento consultu
 incipit, fugam potius quam victoriam vobiscum.
 etiam si vicisset, ignobilis. Equus non fateri-
 tur eam, qui proprio instinctu fortia atque gre-
 goria facta edit, infinito intervallo post se relin-
 quere illum, qui necessitate ad eum ad ho-
 nestam peragenda quasi adigitur. Liberalis ho-
 mo utitur non aliunde impulsus expectans,
 suis modo stimulis agitur, per se ipse move-
 tur, sibi obtemperat, ab inertia alienus,
 ipse sibi quaerit agendi materiam, quae quan-
 to honestior et speciosior ipsi contigerit, tan-
 to cupidius eandem complectitur, tantoque li-
 bentius ibi industriam suam collocat atque e-
 xercet. Infinitum est, quod poscit hanc faci-
 lis pronaque a summi viriumque intentio in
 omni munerum negotiorumque genera officare;

seu republicae curam agas, siue exercitum
 regas, siue literarum, sapientiae religionisq;
 te alius doctorem praebas, in parvis atq; ac
 magnis rebus gerendis. Quid quid deniq; impo-
 tum fuerit, nisi voluptatem inde ipse capias:
 et quod agendum vel exsequendum tibi propo-
 sueris, delectet animum, nisi voluntatem et flu-
 idam adfensum et alacriter atq; strenua in tuo ope-
 re perseveras: aut successu omnino carebit, aut
 certe non usq; eo consummabitur, ut insignem
 fructum aliquem aut gloriam illinc referas.

Deinde liberalitati conjunctum est ut per
omnia sit naturae accommodata; non extrin-
 secus decora curiose quaerat, pravae cuiusq;
 artis inimica naturalis bono gaudens. Num
 quae possimus omnino praeter naturam, dig-
 nius aliud vel praestantius nobis exemplar
 eligere? quae simplicitatem ubiq; cum pul-
 chritudine, cum parsimonia copiam apte con-
 jungendo utilissimos fines, via brevissima

consequitur. Circumspiciamus, quae in rerum
 universitate ubivis obvia sunt, illius operi,
 suo quodam nativo decore adeo conspicuum, ut
 ne peccitissimus quidem artifex illud ex-
 mere valeat. Vani sunt atque stulti homines,
 qui neglectis, quae benigna natura ipsis in-
 bonis, extrinsecus sibi quaerunt unice, et nimis
 studiose de prope ridicule accersunt lenocinia,
 tumque sibi insignis et magnifici videntur,
 si inanibus honorum simulacris fulgeant,
 lautis equulis, sumptuosa veste, et reliqua pom-
 pa ceteros mortaliū superent, eorum multitu-
 dinis oculos in se convertant. Quae qui-
 dem omnia adspiciuntur vera liberalitas,
 naturae imitatrix, et naturalium bonorum
 diligens et assidua cultrix, nihil extra
 concupiscens: hac sola sibi laude propo-
 sita, ut naturae per omnia pareat, ejusque ob-
 serva, quoad fieri potest, excolendo et percolien-
 do amplificent atque collectet.

Porro inter liberalitatis propria referendum
 est: ut sincera sit et aperta. Longis sine ab-
 sunt a liberali homine fraudes et mendacia
 et dissimulatio prava; ut quae naturam sim-
 plicem rectamque dedecorent, et quibus nihil
 atque vitae societati que hominum perniciosius
 reprehenditur. Rumpit enim mala fides
 omne vinculum, quo homo cum homine con-
 tinetur, et omnisque societas dissolvitur, ubi
 fraudulentè et perfido invicem homines agunt,
 alius aliam fallit, atque sibi insidiando lu-
 brica omnia reddunt atque intuta. Hoc pri-
 mum curat liberalis homo, ut rebus factisque
 suis fides constet atque integritas. Verum
 unice amat atque facerem, utque ab omni-
 bus reposit. *Quis enim amat, Plautus*
ait, verum volo tibi dici, mendacium
odi. *Requis non ipse sentit, quam ingra-*
his adfectus, qual indignatio sibi movea-
tur, ubi cum homine agendum est, qui
verbis pariter et promissis fallere solet,

285.
nullam fidem ferat? Equis non scelestum
illum suscipiat, qui acceptum beneficium in
ipsius damnari vertit, qui praestitit? qui
amicitiam simulat, quae facilius fidentem
sibi circumvenire possit? qui ad secreta
aliena elicienda quovis artificioso in fidu-
ciam adreperit, ipsam postea nefande
presum daturus? Vacat eo vitio libera-
lis homo. Nihil ex occulto et compposito
agit, non inanius speciebus illudens, fal-
lex et insidiari perit, perniculose secre-
ta capere, furo et fraudi carens.

Postremum illud addo, ut sit liberalitas
cum lenitate et aptitudine conjuncta.
Ea quidem lenitas prodivem reddit ani-
mum ad participandum et in se metipsum
transferendum, quae alius, seu juvenis seu
aspera acciderint, eorum communicatio nemi
et amformationem adfectuum et sensuum
efficit, quae secundis vel adversis alio-
rum velus, pariter et ipse adficitur, quovis

alieno gaudio, quoque dolore, cum suo, eri-
getur vel comprimatur, cum laetantibus item
laetatur, contristatur cum afflictis.

Id quod in primis liberale et humanum est.
Incultae et depravatae mentis indicia
sunt: ex aliena fortuna nihil moveri, perin-
de omnia habere, quae aliena sunt: tamquam
nulla inter homines intercedat naturalis
cognatio; ne atrocioribus quidem aliorum
casibus affligi, nullam ex eorum bonis
capere voluptatem; ad se tantum cuncta
referre; esse se metui omnia, et communem
humanitatis rem nihil curare; quasi vero
homo homini alienus, neque generis humani
eadem et conjunctissima causa sit. Tan-
tum adest liber alio homo ut ulla voluptate,
modo ne fruente nocent, quemquam
prohibeat, aut eandem ullatenus impe-
diat vel immineat, ut potius, quantum
in ipso positum est, accelleret illam
et promovere studeat, et in augenda

vitae humanae suavitate, omnem ope-
 ram collocet. praeterea facit ea lenitas ut
 erga alios nos acquiores praebemus et
 tolerantes, erroribus quoque nostrae in-
 firmitatis memores, facile ignoscimus;
 ne acius omnia exigamus, sed, si quid
 offensum fuerit, ut excusando potius in-
 tigemus, quam in peius interpretando
 et exacuendo culpam augeamus: eadem
 indulgentia saepe vicissim indigentes.
 Cuiuspe optimus et emendatissimus est,
 uti Plinius inquit, qui caeteris ita ignoscit
 tamquam quotidie peccet: ita peccatis ab-
 stinet, tamquam nemini ignoscatur. Nihil
 est deformius et detestabilius isto genere
 hominum moroso atque intoleranti, addi-
 ta quoque vel leuora vitia aliorum ma-
 ligne expiscante et ac ferere insequen-
 te: nulla sui cura, nullo sui pernos-
 cendi aut corrigendi studio.

Est denique liberalis hominis in omni re
 aptum et congruum sequi; quid personae,
 rei, loci, et tempori conveniat, quid deceat
 consideratus ubi vis respicere; ne quid ini-
 mium fit, per omnia cavere; vel mini-
 mam offensam vitare, temporibus ferrire,
 ne joco quidem intempestivo et paralo illi-
 beraliori. uti.

Hic de liberalitatis indole expositis venit
 oratio ad id quod secundo loco supra a me
 positum fuit, ut genera quaedam libe-
ralitatis pro verba ejus vocabuli in et
 translatione singillatim consequar.

Nam ingenium dicitur liberale, et
animus liberalis et oratio et educatio,
 et liberalis doctrina et mores liberales
 et facies et habitus liberalis.

Liberalis ingenium illud vocari solet, quod ve-
lit ipsum se apperire, cuius bonae institu-
tionis patet, ad quodque bonum recipiendum
et ex se gignendum habile, nec ardua re-
cusans, verae laudis cupidum et propensum
laudanda et impigre prosequitur; successu
factum: erectum, promptum, alacrum; suo
bono utens, non invidum alieni; minus
ubique speciosa, quam vera et solida quaerens.

Animus liberalis unice in honesta festus,
sutilium et frivolorum rerum contem-
tor, aperte cuncta agens; ab omni fraude
alienus, fallaciae insidiarumque nescius;
procus in benevolentiam, fidus ac certus,
recti tenax, nihil ex fortuna hominum
immutatur, per omnia aequalis et constans,
praeter humanitatis decus, jus fasque nihil
cui suspectans, quaevis officia, sive ex
naturae lege sive alia proprio quadam

confociatione hominum orta religio se ex-
sequitur.

Oratio autem ea esse ducitur, quae non mo-
do cursum habet facilem, et elegantia com-
mendatur, sed quae candoris, recti quoque sensus
interpres esse putatur. Neque enim is libera-
liter eloquitur, qui ficta et grata, sed qui
salutaria, quamquam aspera praesentat.

Ne vera eloquentia ea demum aestimabitur
quae nativo dicere placet, sententiarum
gravitate, et verborum ad commodato de-
lectu, iuxta compositione, et dictis vis
quamquam simplicissimae vi, aures iux-
ta mentesque retinet: non illa quidem,
quae lenociniis undique quaesitis audien-
tibus illudit, et quae aliquando vario ar-
tificio aures titillando ac permulcendo
se infinet, nil tamen praeter inanes
species offundit, quae quae ab ipsius saepe
virginitatis sensibus longissime distant.

Porro liberalis educatio ea cum maxime ha-
 betur, quae interam iustam quo runda m
 et nimis adstrictam atq; luxuriantem
 siliam et licenter vagam educandi
 rationem, velut medium locum occu-
 pat. Liberalis autem educator ante
 omnia illuc impendit operam, ut
 alumnorum ingenia accurate dignos-
 cat, et penitus inspiciat: ex naturae
 modo unumquemq; tractaturus. In-
 de a parvulis iam, quibus vis artibus
 bonis viam quasi praemianendam
 ratus, teneras ad huc vires evocat et
 ad utile quiddam paulatim deducit,
 materiam e quaque forte obviam
 qui proferendi et coercendi; lar-
 giter subministrans; praeceptis q̄
 pariter et exemplis, prout aetas pa-
 tetur, animum imbuens; robustiores
 dein et validioribus cupiditatibus iam

obnoxios, leniter et rationis imperio ma-
 gis quam ira et impetu aut acerbiore ca-
 stigationum genere, et rudi discipli-
 na coercens. Aliena est liberalis educatio
 a vi metusque, infidelibus recti magistris,
 omni quoque injuria, qualis erga infirmam
 aetatem haud raro admittitur, et servili-
 bus poenis, ac humili obsequio, quod tan-
 tum cogitur. Serius offensa improbando
 et rectiora demonstrando transmittet,
 ne gravius peccetur, eo potissimum cave-
 re studet, ut ab otio et desidia in primis
 hinc plurima turpia facta gignun-
 tur, et ab illecebris vitiorum, animos
 inceptos adhuc, eoque corruptioni aper-
 tiores, quam diligentissime abstra-
 hat; in recti honestique amorem erigat,
 et in verae laudis studium castimet.
 Ita quidem informatus animus et instruc-
 tus flagitia atque dedecora sua sponte
 multoque certius vitabit, ac si per coac-
 tionem ignominiosam prohiberetur.

Tum doctrina ea domum liberalis vo-
 cari meretur, quae proprium cuius judi-
 cium relinquit, magis quod illud excusat; nec
 superstitiosis opinionibus adstringit men-
 tem atque coercet, neque inanibus et lu-
 elicis figmentis innectit atque comminuit;
 in omnibus quae proponit, hoc primum
 curat ut plana sint et dilucida et sana;
 diligenter omnia cuncta examinat, di-
 versa ponderat, et ex vero quodque aesti-
 mat, neque precipitatur ad sensum, nec
 imperat, non nisi rationibus claris eun-
 dem eliciens atque retinens. Doctus ille
 liberalis et acutus in inquirendo, et in
 discernendo aequus ac placidus, et in fla-
 tuendo modestus erit; non nimis suo indid-
 gens ingenio; non cuiquam sua placita
 pariter acriter pro certis obtinens: mit-
 tere paratus, si meliora sibi ostensa ha-
 erint; de additis rebus et obscuris cau-
 tius, quod sentit, proferet, dubia et im-

plura in medio relinquens, manifestae
 falsitatis pravitateque haud timidus im-
 pugnator; per omnia vero rixas et con-
 tumeliosas disceptationes, tamquam vili
 decori contrarias, et erudito homine plane
 indignas, summo studio vitabit. utpote
 generis omnium artium liberalium hoc
 esse commune, emollice animum, magis
 magisque ad humanitatem traducere, rec-
 te honestique sensu proutus imbueret, et
 cuiusque ornamento habilem efficere.

Jamque mores liberales si praedicantur
 esse, in quibus comitas atque severitas mis-
 centur, quique ad tristitia juxta et petu-
 lantia absunt: lenes, faciles, grati.
 In quo haec fere continentur: ut erga
 quemquam te humaniter et pro cuius-
 que ordine et consuetudine decenter geras;
 ne temere quemquam offendas, illudas
 nemini; in omni societate modeste et
 verecunde agas; non quidquam ex

praecipiti aut violentius suscipias, ne
 confestim, ubi quid in contumendum fuerit,
 effensor, ne quid ambitiose jaclites; ut
 pro viribus tuis alio inferre studeas, et
 quibus ipse bonis fruere, lubenti animo
 ea cum ceteris quoque communices. Denique
 placet in homine et facies et habitus libe-
 rales: velut internae bonitatis, humanique
 sensus indices. Mirum est, quantum haec
 ad conciliandas, aut, si contraria accidant,
 ab alienandis animos, et bene vel secus opi-
 nandum, vel apud aeternam ignitionem ho-
 minem valeant. Forte mihi homo ob-
 vius est, blandus facie, vultu hilaris, mo-
 destus incessu: et aspectus ipse jam in sui
 amorem trahit. Contra offertur aliquis,
 austeritate morositateque in ipso qua-
 si vultu, ambitionem et insolentiam ha-
 bitu et incessu prae se ferens: et quis non
 ingenuus se quasi ab eo alieniorum esse
 profiteatur? Sed quum magna set in

hoc quoque vis et varietas naturae, quae
 non ubique sua bona externa specie prodit,
 et quae ad ista corporis decora attinet,
 plus minusve faoris in hoc et alio excr-
 cet; quumque illi competam habeamus, quom-
 ista ut visu vultuque vel ulla corporis for-
 ma de animi bonis conjectura, fallax fac-
 penumero et lubrica sit: cavendum mag-
 nopere erit, ne nimium his confidentes
 in temeraria iudicia, et humanitati ini-
 riosos errores prolabamur; sed ex fac-
 tis potius et fructibus quaeque hominem;
 quam ex ulla externa re vel facie
 et formae proprietate, dignoscere et
 dijudicare oportebit.

[Faint, illegible handwritten text in a cursive script, likely a historical document or manuscript.]